

A 231
5

Aufg. Sammelbd. 2. Bd.

Hist.

III. c. 0.

MEDITATIONES
THEOLOGICÆ,

quibus ostenditur,

INCREDULITATEM FINALEM ESSE PARTEM,
PECCATI IN SPIRITUM SANCTUM,
VERE ESSENTIALEM.

Auctore

O. S.

FRANCOBIBLISSIMO AC DOCTISSIMO
DR. RESPONDENTI
THEOLOGICAE
MEDITATIONES

quibus ostenditur
INCREDULITATEM FINALEM ESSE PARTEM
PECCATI IN SPIRITUM SANCTUM,
VERE ESSENTIALEM.

Auctore

O.S.O.



PRÆFAMEN.

QUÆMADMODUM nihil majoris est momenti
 veritate cœlesti, quippe quæ viam ad
 eternam beatitatem assequendam, digito
 quasi, monstrat unice; ita etiam salvandis nihil
 debet esse prius, nihilque antiquius indaganda
 ejus, ex Sacris Litteris, certitudine, ut implea-
 tur mandatum Salvatoris in Joh. V, 39. Cum
 autem in Scriptura Sacra, cujus quidem veritas
 non est nisi unica, interdum tamen obœniant loca,
 quorum sensum, ob imbecillitatem nostram celeri-
 ter videndi, quid verum sit, quid minus, genuinum
 an offenderimus, non adeo semper soli possumus
 esse certi; e re est, ut conceptus de iisdem nostras
 atque cogitationes communicemus cum solidiori-
 bus, qui inde ansam nos melius, si fortassis erra-
 vimus, instruendi nanciscantur uberiolem. Hoc
 etiam pacto præsens hicc Tractatulus conscriptus
 est inque publicum, præ primis vero Eruditorum

1.2

A 2

lonimo con

conspēctum, egredeundi sibi sumsit fiduciam. Ne aut proxima opusculum hoc edendi P. Lectori lateat ratio; confiteor me, ante annum, & quod excurrit, vidisse viri cujusdam doctissimi sententiam, de hac materia prolixè quidem, ex professo, elaboratam, sed opinioni meæ prorsus contrariam. Cupidus itaque indubitatae veritatis cum in eadem, de integritate conclusionis, nec satis possem fieri convictus, nec ulla mihi cum Clarissimo Auctore dubia coram communicandi optabilior sese postea præbuerit occasio; suasionem de hac eadem remeam chartæ publice injicere decrevi. Me interim hoc fecisse non gloriæ cujusdam captandæ causâ, sed mero veritatis obtinendæ zelo, vel intermissio nominis, quod satis est, indicabit. Si itaque heic rem acu, ut ajunt, tangendi mihi contigerit felicitas, intentionis atque voti statim essem compos; sin vero minus, bonitatem, qua nihil mihi potest fieri gratius, venerabunda nunquam non agnoscam mente, si digneris. L. B., me, licet absentem, quavis data occasione, rationibus corrigere, mihiq; de cetero favere. Valeas in Domino!

2 A

§. I.



§. I.

AD notissimam illam haud minoris momenti quaestionem, quæ, inter Eruditos, & quidem in specie Theologos, sæpius fuit mota: *An videlicet incredulitas finalis sit pars revera essentialis peccati in Spiritum Sanctum?* nescio, an rite, h. e., cum certitudine, responderi potuerit ante, quam, præeunte Scriptura Sacra, constet, pro quibus sive qualibus peccatis remittendis satisfactio Christi Salvatoris sit præstita, evictumque, quodnam DEO, in hoc puncto, sit consentaneum, & versa vice. Est enim vera doctrina de peccato atque indole satisfactionis Redemptoris fi-

diffima certissimaque, nullo negante, hujus sol-
vendæ quæstionis directrix, sine qua, in hac re,
quid pro quo capere, respondere atque statuere
facillime possemus. Certi itaque si esse volue-
rimus, ab ipso, ut dicitur, ovo est ordiendum,
illi tamen, qua par est, studendum brevitati.

§. II.

DEUM Sanctissimum nostrum Creatorem,
quodvis peccatum qua tale, hoc est, quod contra
Decalogum committitur, tanti habere odii, ut
idem committentem pœna æternæ condemna-
tionis, nulla meriti Salvatoris interveniente ap-
plicatione, multaverit, nemo sanioris Theo-
logiæ negabit: Hanc etiam veritatem, quod
fatis est, confirmant evidentissima Sacræ Scri-
pturæ dicta: *Gen. II, 17. Hes. XVIII, 20. Rom.*
VI, 23. &c. Fatemur quidem, humanam no-
stram rationem non adeo percipere posse, quæ-
nam sit proportio inter delictum, quod nos vo-
camus finitum & pœnam, inde sequentem, in-
finitam; unde etiam hæretici, ratione abuten-
tes, imaginariam suam ἀποκατάστασιν πάντων
statuendi fundamentum sumere fuerunt ausi:
Ast, verbo Divino, quod nunquam fallit *Ebr.*
VI,

VI, 18., magis credendum est, quam rationi
Act. V, 29. Præterea, si & in hoc puncto ra-
 tionem recte usi fuerimus, reperiemus, adesse pro-
 portionem, eamque maxime rationalem: Nam
 vel minimum peccatum admissum est infinitum,
 licet non respectu sui ipsius (tunc enim est ens
 finitum) intuitu tamen DEI, ceu substantiæ in-
 finitæ, contra quam committitur; unde, quod
 infinitum est, pœna finita solvi prorsus nequit.

§. III.

Satisfactio Salvatoris *Christi* est sufficientis-
 sima solutio pro omnibus peccatis, quorum an-
 te finem vitæ suæ peccator vere pœnitens & cre-
 dulus sibi a DEO implorat veniam. Definitio-
 nem hanc, quam cum omnibus sanis Theologis,
 saltem quoad sensum, habeo communem, ve-
 ram esse atque genuinam, ex sequentibus, ut
 spero, patebit. Duo interea ex illa fluunt de-
 monstranda, quorum prius est ipsa *Christi* satis-
 factionis universalitas; posterius vero illa con-
 ditio, sub quâ universalis dicitur. Ad demon-
 strandam universalitatem meriti Salvatoris, sive
 ad convincendum, quod ejus satisfactio, ex
 voluntate DEI antecedente, omnibus in univer-
 sum

sum peccatoribus æque pateat, nihil quidem, inter nos Lutheranos, requiritur, præter clarissima Sacra Scriptura dicta, quæ affatim offenduntur, uti *Es. XLV, 22. Hes. XXXIII, 11. Matth. XI, 28. 1. Tim. II, 4. 1. Job. II, 2. &c.* Attamen, ut &, hac data occasione, insimul abeant ratione refutati, qui ratione statuunt, absolutum DEI dari decretum; obiter tantum heic sumus commonstraturi, misericordiae Divinae dispositionem alio sese non potuisse habere modo, (salva nihilominus DEI libertate) quam ut æqualiter destinaretur omnibus & singulis, posita Salvatoris satisfactione præstanda: Nam ubi eadem ponitur causa, ibi idem, necesse est, ponatur effectus (*per Lemm. Metaphys.*). Jam autem a parte lapsorum nulla alia fuit causa, DEUM ad misericordiam commovens, quam miserima illa lapsis imminens peccati poena *Gen. II, 17. Hes. XVI, 6. Jer. XXXI, 20. Tit. III, 5.*; hæc vero causa seu conditio in omnibus Adami posteris erat æqualis *Rom. V, 12.*; ergo misericordia DEI erga omnes erat æqualis, & *Christi* meritum, tanquam misericordiae DEI effectus, itidem, per consequens, omnibus æquale (per notionem justitiæ DEI); unde necessario

fario fequitur, nullum abfolutum dari decretum. Quod vero attinet ad conditionem illam, fub qua univerfalis eft & nuncupatur Salvatoris fatif- factio, novimus, ex facro codice edocti, quod *Chrifti* meritum, ex voluntate DEI confequente, certos habeat limites (ut ita mentem exprimere licet), ultra quos illud nec deftinavit, nec pro- gredi finit ipfa DEI Sanctitas. Horum prior eft, quod univerfalitas fatifactionis *Chrifti* fele non extendat ultra tempus; adeo ut janua gra- tia in ipfo temporis fine peccatori prorfus clau- datur. *Matth. X, 22. Chron. II, 10*; pofterior ve- ro, quod in tempore non extendatur ad remit- tenda illa peccata, qua peccator absque poeni- tentia & credulitate adhuc continuat: Nam in peccatore, cui applicari poffit *Chrifti* fatif- factio, praerequiritur neceffario credulitas five fides viva, tanquam *ὄργανον ληπίλων*, fine quo non *Joh. III, 36. & Ebr. XI, 6*; unde eft manifef- tiffimum, quod, quemadmodum quivis, vera fide praeditus, particeps redditur *Chrifti* fatif- factio- nis, & per confequens, peccatorum fuorum remiffionis, ita etiam viciffim, abfente credulita- te, abfit *Chrifti* fatifactionis applicatio, qua iterum abfente, abeft & peccatorum remiffio, qua

minere

B

qua

quæ sic absque credulitate est, saltem Christianis, absolute impossibilis. Hoc modo, non alio, universalis est Salvatoris satisfactio; unde jam demum patescere arbitror, datam ejus definitionem esse cum suo definito reciprocam.

§. IV.

Hinc omnia peccata, cujuscunque sint generis, speciei vel conditionis, sunt remisibilia, si modo eorum, in tempore, legitimam peccator agat poenitentiam; irremisibila vero reliqua omnia, quæ absque poenitentia & credulitate in mortem usque continuantur. Veritas hujus assertionis in promptu est. Etenim cuivis vere credulo & poenitenti Salvatoris, in tempore, applicatur satisfactio, quæ applicata statim delet atque remittit hujusmodi peccatoris delicta, quæ illa unquam fuerint (§. 3.); cum incredulo autem & impenitenti hæc res, in tempore, modo sese habet contrario (§. eadem). Ergo, cum absque credulitate impossibilis sit peccatorum remissio, accessus ad applicationem satisfactionis seu unici objecti credulitatis, non detur post tempus & DEUS illa peccata, pro quibus nulla Salvatoris meriti seu satisfactionis intervenit applicatio, remittere

sup

8

mittere

mittere nequeat (§. 2.); sequitur, ut quemadmodum omnia peccata, quorum vera in tempore agitur poenitentia, sunt remisibilia atque adeo remitti possunt; ita etiam vicissim omnia illa peccata, quorum poenitentiam in tempore non agit peccator, sint absolute irremisibilia; adeo ut, hoc pacto, per se ruat absurda illa ἀποκατάστασις πάντων; id, quod etiam dictum *Luc. XVI, 23. 26.* innuit &, quod satis est, commonstrat.

§. V.

Nullum itaque peccatum, sive sit majus, sive minus, esse absolute irremisibile, nisi ob incredulitatem finalem, ex haecenus dictis facile possumus colligere. Novimus enim, DEUM, ob Redemptoris meritum, quam lubentissime condonare omnis generis peccata, quorum seria in tempore agitur poenitentia (§. 4.); Cum vero, vicissim, neque velle neque posse condonare ea, quae cum impenitentia adhuc sunt conjuncta, ex eadem constat Paragrapho. Jam autem credulitas (non est, quod confundamus fidem cum credulitate) est ratio poenitentiae, &, inverso ordine, incredulitas impenitentiae: Ergo, quia inter credulitatem & incredulitatem non datur ter-

tium & contraria contrariorum sit ratio, sequitur, ut, quemadmodum credulitas, ab una parte, est unicum illud, a parte peccatoris, requisitum medium, ob quod Deus peccata remittere potest; ita etiam, ab altera, incredulitas unicum illud sit impedimentum, ob quod Deus peccata remittere nequit. Hinc peccata quævis nonnisi hypothetice sunt irremissibilia, quamdiu incredulitas adhuc versatur in tempore, ubi sese convertendi quovis momento peccatori superest possibilitas; quum autem incredulitas durat in mortem, ubi janua gratiæ peccatori prorsus clauditur (§. 3.), peccata, jam dudum non remissa, absolute, h. e., in æternum manent irremissibilia.

§. VI.

Quoniam peccatum in Spiritum Sanctum, secundum effatum Salvatoris in *Matth. XII, 31. 32.* est obsolete irremissibile, erit & incredulitas finalis hujus peccati pars revera essentialis. Ostensum est (§ 5.), nullum prorsus peccatum esse, nisi ob incredulitatem finalem, absolute irremissibile. Ergo nec aliam ob causam peccatum hocce. Id autem, ob quod res est, quod est, seu, ut adhuc clarius dicam, id, quod efficit, ut res aliqua præcise

cise sit talis, ingreditur rei essentiam, quid? est ipsa essentia. Incredulitas finalis est id, quod unice efficit, ut quodvis peccatum sit absolute irremissibile; ergo & illa est causa absoluta irremissibilitatis peccati in Spiritum Sanctum, &, per necessarium consequens, hujus peccati pars essentialis, h. e. requisitum, sine quo non.

§. VII.

Sic in superioribus perpenso, quid, in hac re, DEO sit dignum, quid non, factaque inde (§. 6.) legitima conclusione, spero, quemvis, cui ex praemissis ars legitime concludendi est familiaris, esse concessurum, hanc rem ulteriori non egere demonstratione. Attamen, ne dubia, quae contra hanc veritatem proferri possunt, reliquis sint offendicula, resumam jam deinceps atque refutabo & quae ab aliis formata in mentem veniunt & quae ipse mihi fingere sustineo.

§. VIII.

Omnium primo confiteor, me haud ignorare eum, qui, in quodam, de hac materia, Tractatu, ivit ex professo demonstraturus, incredulitatem finalem non ingredi hujus peccati essentiam, sed esse duntaxat ejus *accidens* quoddam *inseparabile*.

rabile. At, salvo ejus honore, nescio, an percipi possit, quid sibi idem ille terminus velit. Nam, ut vulgo recepta docet Terminologia, *accidens* mihi audit id, quod, diverso temporis momento, potest & abesse & adesse absque læsione ejusdem rei essentiæ; id, quod ipsa vocis *accidentis* involvit notio. *Inseparabile* vero, vi vocis communisque loquendi usus, denotat id, quod abs re cui inest, sine ipsius rei essentiæ læsione abesse nequit; quod ipsum mihi est rei alicujus attributum. Unde hic terminus, constans hisce duabus contradictoriæ notionis vocibus, significabit id, quod potest & adesse & non adesse simul; item, si ordinem invertas, quod potest & abesse & non abesse simul, idque, in utroque casu, & cum re salva & cum ejus destructione simul. Sed hoc, pro meo quidem judicio, directe repugnat *Principio Contradictionis*; adeo ut significatum hujus termini esse aliquod, quod vocamus non ens, h. e. absolute impossibile quid, Philosophorum pariter, ac Theologorum inficias iturus sit nemo. Mihi, hoc loco monenti, *inseparabile* esse attributum, frustra quisvis, Metaphysicorum ignarus, exemplum objicere conatur contrarium, dicendo, peccatum quidem esse aliquid ab homine in-

sepa-

separabile, sed tamen non attributum: Nam peccatum non pertinet ad hominem, sed ad hominis corruptionem, quæ qua talis, absque peccato est plane impossibilis.

§. IX.

Commonstrato (§. 8.), hunc terminum, *accidens* nimirum *inseparabile*, nihil prorsus roboris importare intentæ demonstrationi, incredulitatem finalem non esse partem essentialem peccati in Spiritum Sanctum, quamdiu idem terminus consistit in conjunctione illarum vocum; separabimus voces, separatasque examinabimus, quo inde videatur, nec ullam earum, ab altera conjunctam, locum heic habere pro sensu auctoris, possibilem. Quod si enim quis diceret, incredulitatem esse tantum *accidens* hujus peccati, ille, eo ipso, nonnisi contradicit omnis peccati naturæ, quæ cum aliqua incredulitate *NB.* indissolubiliter est conjuncta, accidentis vero indoles ea, ut, re sava, tolli possit: Unde incredulitas finalis, quæ absolute tolli nequit, nullo modo appellari aut esse potest *accidens*. Sin vero postulare, incredulitatem esse aliquid hujus peccati inseparabile, sed illud non essentialiale; tunc, quia in-

ter

ter essentialis & accidentale non datur tertium, erit statim accidentale. At paulo supra demonstratum est, incredulitatem finalem, quatenus referatur ad irremissibilitatem hujus peccati absolutam, a qua, salva, tolli prorsus nequit, nec esse nec dici posse *accidens*; ergo est essentialis.

§. X.

Vidi & eos, qui contra hanc veritatem scriptis reliquerunt objectionem ita sonantem: Si peccatum in Spiritum Sanctum nonnisi ob incredulitatem esset absolute irremissibile, nullum inter hoc & alia peccata foret discrimen. Ego vero respondeo: Cur ni? Examinemus hoc & alia peccata, & videbimus hoc peccatum toto coelo ab omnibus aliis differre. Novimus enim, peccatum in Spiritum Sanctum adhuc duas reliquas, ut communis ejus fert definitio, partes habere essentielles, puta *abnegationem agnitæ veritatis coelestis & rejectionem omnium mediorem salutis æternæ*. Numne hæc duæ partes, quas hoc peccatum, præ omnibus aliis, ex notione communi, sibi vindicat proprias, sufficerent ad constituendam aliquam differentiam specificam, qua hoc ab aliis constanter discernatur, etiamsi hoc

pec-

peccatum æque, ac omnia cætera, absolutæ suæ irremissibilitatis finalem incredulitatem agnoscat causam? Videmus ergo, dari discrimen, illudque haud exiguum inter hoc & alia peccata, etiam in hoc casu.

§. IX.

Hæc etiam proferri solet objectio: Hoc peccatum ejus peculiaris est prædicati, ut in tempore pariter, ac post tempus, affirmante ipse omnis veritatis ore, *Christo*, sit prorsus irremissibile; unde cum jam dudum ante mortem peccatoris sit absolute irremissibile, constituendæ irremissibilitatis essentiæ non opus est aliqua incredulitate finali, quæ non ante, quam in ipsa & post ipsam mortem accedit. Confiteor, hanc objectionem veritatis magnam præ se ferre speciem. Ergo ut eo rectius ad eam respondere queam, redigam eandem in syllogismum, & quidem hoc modo: Quodcunque peccatum in tempore est absolute irremissibile, illius essentiæ non opus est incredulitate finali; atqui peccatum in Spiritum Sanctum ergo &c.; at nego minorem. Scimus enim, nullum peccatum esse irremissibile, nisi ob defectum fidei ejusque consecratorum (§. 3.); hujus autem

III 2

C

defe-

defectus implendi possibilitas peccatori, dum adhuc sit in vivis, remanet (§. 5.); ergo nullum prorsus peccatum, proprie loquendo, h. e., sine respectu ad incredulitatem finalem, in tempore potest esse absolute irremissibile. Hinc lubens quidem concedo, effatum Salvatoris de absoluta hujus peccati irremissibilitate, esse verum, immo verissimum; sed credo tamen, fas esse credere, eum hoc dixisse respectu Pharisaorum aliorumque, forsân, id genus impiorum incredulitatis finalis, quam, utens Divina sua omniscientia, prævidebat esse futuram; unde etiam merito dicere poterat, atrocissimum illud eorum peccatum neque in hoc neque in futuro mundo posse, deficiente credulitate, remitti. Et hoc quidem eo magis credo, quo Salvator ne verbo quidem unquam aperte dixerit, Phariseos illud peccatum jam dudum commisisse, sed tantum aperuit hujus peccati absolutam irremissibilitatem. Neque improbable est, concludere, omniscium nostrum Salvatorem, eum in finem, hunc, illa occasione, habuisse sermonem, ut aut suam indicaret Divinitatem per præscientiam de futura Pharisaorum incredulitate finali, aut admoneret & Phariseos & alios, ne hoc peccatum committerent.

§. XII.

§. XII.

Heic vero aliquis instare posset, dicendo: Si peccatum hocce in tempore aque, ac post tempus non foret absolute irremissibile, quam ob causam de omnibus aliis peccatis non etiam similiter locutus est Salvator? Respondeo, & quidem sine contradictione §. X, Salvatorem cum illa propositione non potuisse non respicere omnia illa peccata, quæ in mortem cum impenitentia continuantur. Et ut de hac re eo melius reddamur convicti, recordemur *Christi* de eadem effatum: *Omne peccatum & calumniatio hominibus remittetur, sed peccatum contra Spiritum Sanctum hominibus non remittetur, neque in hoc neque in futuro mundo.* Matth. XII, 31. 32. Sed ubi esset veritas horum verborum de totali omnium aliorum peccatorum remissione, excepta peccati in Spiritum Sanctum, nisi omnia peccata, quæ in mortem durant, una heic non essent intelligenda? Nam scimus ex Scriptura Sacra & quidem *Matth. XX, 16.*, multa peccata, quæ non dicimus esse contra Spiritum Sanctum commissa, manere, ob incredulitatem finalem, irremissa, adeoque in aeternum absolute irremissibilia. Miserum sane esset refugium,

si quis moneret, hæc Salvatoris verba non involviffè absolutam omnium aliorum peccatorum remissionem, sed tantum eorum remissionis possibilitatem. Tunc enim quæro, unde fit possibile, ut alia peccata remitti possint? Respondet forsân: Si eorum interveniat pœnitentia. Rectissime; sed ponat eandem conditionem peccati in Spiritum Sanctum. Respondet iterum: non valet, quia hoc peccatum est absolute irremissibile. Sed quid, quæso, hoc esset aliud, quam statuerè aliquid DEO indignissimum? Num DEUS, qui est justissimus, possèt hoc peccatum remittere, illud vero non, acta utriusque pœnitentia, quæ, a parte peccatoris, est unica ratio possibilitatis remissionis peccatorum? minime; quia DEUS sine ratione sufficiente non facit. Ergo etiam non quadrat, illam Salvatoris fuisse sententiam, augurari. Hinc itaque eidem illi *Christi* effato non modo non repugnaret, sed consentiret potius, si dicamus, omnia in Spiritum Sanctum commissa esse peccata, quæ in mortem voluntarie continuantur; & ob incredulitatem finalem fiunt irremissibilia. Omnes enim partès constitutivæ peccati, quod in Spiritum Sanctum esse commissum dicimus, in quovis peccato, quod

in

in mortem peccatoris cum impenitentia durat, inveniuntur, licet gradu differant; id, quod probabo: Peccatum in Spiritum Sanctum tribuitur præcipue Pharifæis, & id quidem rectissime. Hi autem aut tunc erant convicti, aut non, de illa scilicet cœlesti veritate, quod *Christus* esset verus ille *Messias*, quem DEUS promiserat in mundum esse venturum. Si non fuissent convicti, justissimus noster Salvator hujus peccati eos nunquam incusavisset. Ergo erant convicti. In quo itaque eorum consistebat culpa, ob quam Salvator ita de illis dicere sit coactus? Respondet: In eo, quod, contra meliorem conscientiaæ suæ convictionem, contumaciter resisterunt Spiritus Sancti operationibus atque *Christum* scientes volentesque abnegarent. Pone jam hominem quendam in Religione Christiana, de ordine suæ salutis, vere instructum inque conscientia sua de cœlesti hac veritate bene convictum. Pone porro, quod prohi dolor! ponere non est difficile, eundem hunc hominem postea induratum fieri peccatorem & contumaciter virtuti DEI verbi resistere, adeo, ut tandem inconversus moriatur. Hanc vivendi normam, licet alii aliter, sequuntur omnes, qui absque penitentia in peccatis suis e vita excedunt.

cedunt. Annon autem in hoc exemplo invenimus omnia, quæ ad peccatum in Spiritum Sanctum constituendum requiruntur? Omnino. Hic etenim homo, quatenus antea æque, ac Pharisei erat de cœlesti illa veritate convictus, etiam contra meliorem conscientia suæ convictionem Spiritus Sancti operationibus restitit adeoque mediâ salutis voluntarie negligendo contempsit *Christumque*, sive ejus doctrinam, factis suis abnegavit, irrisit atque eum quasi sciens volensque crucifixit *Ebr. VI, 6*. Omnes itaque ejusmodi peccatores idem cum Phariseis committunt peccatum.

§. XIII.

Alium ex Salvatoris de hac re verbis, nescio, an absque peccati vitio eruerè audeamus sensum. Etenim si peccatum in Spiritum Sanctum, nullo ejus essentia respectu ad incredulitatem finalem habito, foret absolute irremissibile, culpa hujus absolute irremissibilitatis latebit aut in DEO, aut in peccato aut denique in ipso peccatore, qui hoc peccatum commisit; (plura enim non dantur receptacula hujus culpæ possibilia). Ponamus itaque, explorandi gratia, omnia hæc tria atque examinemus, ut inde videamus, cuiquam

sententiæ consequentia sit futura. Si in DEO hæc invenienda esset culpa, tunc ille aut non valeret aut non vellet peccatum remittere. Si prius, tunc insimul infinita DEO denegaretur potentia, quam ceteroquin rationalium negabit prorsus nemo. Sin autem posterius, statim repugnaret atque contradiceret apertissimis Sacrae Scripturae dictis, ineffabile in DEO omnia peccata remittendi desiderium indicantibus, ut *Es. XLV, 22. LXV, 2. Hes. XXXIII, 11. Matth. XI, 23. 1. Job. II, 4. &c.* Hinc itaque videmus, nullam in DEO quærendam esse culpam. Si quis dicat illam in ipso latere peccato, tunc, nisi eandem cum aliis peccatis, quæ etiam ob incredulitatem finalem manent irremissibilia, statuatur rationem, aliud non superest refugium, quam ut postulet, adeo magnum dari posse peccatum, ut ei remittendo Salvatoris non sufficeret satisfactio. Sed ubi tunc Divina veritas dicit *Rom. V, 20.* ita sonantis: *Ubi abundat (ἐπλεόνασε) peccatum, ibi longe magis abundat (ὑπερπερίσσευσε) gratia?* Fallacia vero hujus dicti est impossibilis *Num. XXIII, 19. 1. Sam. XV, 29. Ps. XXXIII, 4. Ebr. VI, 18. &c.* ergo nullum adeo magnum datur peccatum, ut Redemptoris meritum illud non posset

set delere atque remittere; ergo nec hæc culpa in ipso invenitur peccato. Restat itaque, ut inquireamus, utrumne in ipso hæreat peccatore. Hoc ultimum non modo concedo, verum postulo etiam. Nam existente effectu (absoluta irremissibilitate) dabitur causa; quæ cum nec in DEO, nec in peccato sit reperta, inveniatur, necesse est, in peccatore. Jam autem hujus rei cardo in eo versabitur cunctus, ut indagetur, quænam illa in peccatore hujus irremissibilitatis sit ratio. Ponamus, non esse incredulitatem finalem, quam ego tertiam hujus peccati essentialem contendo esse partem; ergo, quoniam nonnisi duæ, (pro voluntate contrariam partem defendentium) partes sunt hujus peccati constitutivæ, erunt & illa ipsa ratio, cur hoc peccatum, in tempore, sit absolute irremissibile. Bene. Sed pone, quod & harum duarum partium seria atque legitima in tempore peragatur pœnitentia, & videbimus, DEUM hoc peccatum aequè, ac alia peccata, quorum seriam peccator agit pœnitentiam, esse remissurum (§. 4.), siquidem tam magnum non datur peccatum, quod DEUS, acta pœnitentia vera, & non vult & non valet remittere. Remisso jam hocce peccato, statim luculenter videtur,
 has

has duas partes solas adhuc non suffecisse ad constituendam essentiam hujus peccati totalem; nam si id valuissent, peccatum hoc, cujus completi character est absoluta irremissibilitas, remitti nequaquam potuit, quod tamen jam (*per hypotesin*) est factum.

§. XIV.

Sed regeret fortassis adversarius, esse absurdum, ponere pœnitentiam hujus peccati, quippe quod peccatorem plane reddit inconvertibilem. Sed ad hanc objectionem duplici respondeo modo. Etenim primo incumbit adversario suam probare thesin, statuentem, hoc peccatum adeo inconvertibilem reddere peccatorem, ut in tempore nullo modo converti possit, sive, ut nulla ipsi sese convertendi in tempore remaneat possibilitas; quid? debet demonstrare exemplis; dictis Sacri Codicis confirmatis, neminem profus Pharisaorum, quorum causa Salvator hæc dixerit verba, seu a quorum vita ansam ita loquendi sumsit, postea fuisse convertum; quam tamen demonstrationem credo adversarium interea esse omisurum, tanquam longe difficillimam, siquidem nec ipse Redemptor hoc unquam dixit, nec

D
Scri-

Scriptura Sacra vel minimum ita credendi reliquit vestigium, sed potius contrarium. Deinde, si hoc peccatum peccatorem vel maxime redderet inconvertibilem seu ad conversionem ineptum, quid inde? Num ideo incredulitas finalis excluderetur a constitutione hujus absolutæ irremissibilitatis? nullam sane video consequentiam. Nam eo ipso nonnisi mihi conceditur, absentiam conversionis esse causam, cur hoc peccatum sit irremissibile, seu, ob quam DEUS illud adhuc remittere nequeat. Est idem, quod ego intendo. Sed quid, quæso, est causa absentiae conversionis; nisi incredulitas? Tolle enim a peccatore incredulitatem, & illico in eo habebis hominem convertum, cui penitentia non est impossibilis; qua peracta, ejusmodi homini gratia DEI atque peccatorum remissio nunquam denegatur (§§. 3. 4. 5.). Pone vicissim incredulitatem, & iterum statim in eo habebis hominem, cui peccata, in hoc statu, condonari prorsus nequeunt (§. 4.). Quodnam, quæso, clarius signum unquam gestis, peccatum in Spiritum Sanctum, ob incredulitatem finalem, tantum esse absolute irremissibile? unde, per necessarium consequens, manifesto relinquatur manifestius, il-

lam

lam hujus peccati partem revera esse essentialem
(§§. 3. 4. 5. 6.)

§. XV.

Coronidis loco, omittere non possum, quin mo-
neam, negando, finalem incredulitatem esse partem
hujus peccati essentialem, varia, in Christianismo
mala atque incommoda excitari posse atque promo-
veri. Constat enim, esse, secundum Salvatoris nostri
effatum, absolute impossibile, ut ille, qui hocce pec-
catum semel tantum commisit, veniam peccatorum
suorum unquam impetrare æternamque condemnatio-
nem evitare possit. Pone jam, quod hoc peccatum,
pro voluntate contradicentium, sit, per dua illa prio-
ra requisita constitutiva, antequam accesserit incre-
dulitas finalis, completum, sive consumatum, (quod
tamen ante hæc, doctissime, immo rectissime negavit
amplissimus noster *Carpozivius*.) Pone simul, quod ve-
rus atque illuminatus Christianus statu excefferit re-
generationis, inque peccata adeo ruat, ut, dormien-
te conscientia, non solum, ad tempus, absque ulla
necessitate, voluntarie ab usu Sacræ Cœnæ abstineat,
verum etiam eam omniaque alia salutis media susque
deque habeat; id quod & fieri posse, tristissima pro-
dolor! haud raro comprobatur experientia. Hic homo
peccator, licet non verbis, factis tamen (quod & fie-
ri potest, teste Paulo *Tiz. I. 16.*), primo eo ipso abne-
gavit *Christum*, non scilicet parendo ejus doctrinæ, &
per consequens, agnitam cœlestem veritatem, quæ
in Salvatoris doctrina de œconomia salutis consistit;
secundo rejecit omnia media salutis. Jam autem ve-
nit

nit tempus, quo hęc peccator incipit resipiscere, pœnitentiam peragere cupiens. Sed eodem temporis momento, quo veram pœnitentiam agere decrevit, venit ipsi in mentem, peccatum in Spiritum Sanctum complete absolvi abnegatione agnitæ veritatis cœlestis & rejectione omnium mediæ salutis, idque absque certa determinatione temporis, quo fiat. Statim etiam sibi in memoriam revocat, se has duas partes dudum, eo, quo dictum est, modo, commississe. Hinc non solum incipit vereri, ne forsan ipse hoc admiserit peccatum, verum etiam, sciens, hoc peccatum, semel commissum, esse, tam in hoc, quam in altero mundo, absolute irremissibile, de salute suæ æterna desperare incipit, cogitans credensque, omnem suam credulitatem, conversionem, pœnitentiam, pietatem atque fidem post hæc esse vanam, imo vanissimam; unde, vetere stimulante Adamo, in varia majora majoraque peccata perpetranda, in modum Satanæ, jamdudum condemnati, in dies fertur atque rapitur; quo non sibi solum, sed aliis etiam quam maximæ est molestiæ atque incommodo.

S. D. G.



AB: 153 137

ULB Halle 3
003 898 784




VD 18


56.

R

WAT







V
MEDITATIONES
THEOLOGICÆ,

quibus ostenditur,

INCREDULITATEM FINALEM ESSE PARTEM,
PECCATI IN SPIRITUM SANCTUM,
VERE ESSENTIALEM.

Auctore
O. S.

